


ES THEOL.
MUSEI



Dies muß 11





Continentur hoc volumine .

1. D. H. M. Eccardi Disp. de Natura et principio Theologiae. It. de S. Scriptura Disp. II
2. D. Eccardi Disp. 1. de Deo ejusq' Attributis. 2. de Sanctissimo Trinitatis Mystero. 3. de Creatione Conservatione et gubernatione mundi. It. de Angelis. 4. de Providentia divina.
3. D. Eccardi de Divinitate Christi contra Photinianos. & Eccardi
4. D. Eccardi de Peccato originis & Arant's.
5. D. Eccardi de Mystero Incarnationis & Flensner 2. de Predestinatione. & Tegetmeier. (3) de Conversione hominis ad Deum cum Appendice. & Neomaris. 4. de Justificatione hominis coram Deo & Melman. de Renovatione hominis. 5. de Ecclesia et quatuor Novissimis. & Alberti.
6. D. Eccardi de Ecclesia Disp. inaug. & Henckelius.
7. D. Eccardi de Sacramentis in genere. de Sacramento Baptismi. 2. de S. Sancta Eucharistia seu Vera Domini contra Reformatos. It. 3. de Vera Domini contra Pontificios. It. 4. de Vera et reali presentia Corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, contra Calvinianos.
8. Gründliche u. gründliche P. Wittfeld Soc. 1. etc. D. H. M. Eccardi.
9. C. Horneij Disp. inaug. de S. Scriptura sub phil. D. S. Calixti.
10. D. I. Musaej Disp. de Peccato in Spiritum S. Heber.

11. D. Weinmanni disp. de Peccato in Spiritum S. & Stank
12. Philippi Melancthonis et Martini Chemnitij Testimonia
quod omne peccatum quoad formale suum non sit posi-
tium sed privativum quid.
13. Aegidij Hunnij et Leonh. Hutleri testimonia quomodo
peccatum est.
14. D. I. Musæi disp. de Fide prima, quæ est de causa
fidei efficiente. & Zener.
15. D. Niemannij de Bonis operibus & Engelbrecht.
16. D. Gerhardi Holzmanni boni hominis non habet dignitatem
sine Christi. Holzmanni Goldaligen admodum etc. etc. etc.
Testimonia recentiorum ecclesie doctorum, quod pie-
tatis vitæ et bonorum operum à Deo præceptorum
studium fidelibus ad salutem necessarium sit.
17. D. Musæi Sadonnetan ob quibusdam de rebus notis
in suis diligitur.
18. D. I. Musæi de Natura et definitione Ecclesie
& m. l. Kunneken.
19. D. Calovij de Triplicis Spiritus S. Gratia, vocantis
justificantis et conservantis quidditate et diver-
sitate & Steller.
20. Sam. Voss disp. mauro. de Aurea salutis catena
Cap. 8. quod Rom. 4. 29. 30. sub p̄sid. D. Cellarij.
21. D. I. Musæi de Baptismo & M. Keilius.
22. D. Petri Musæi de Baptismo & Starckius
23. D. Trügman de Salute Infantium p̄cipue Christianorum
sine Baptismo decedentium & Tschütz.

24. D. I. Musæj de Communionē sub utraq̃ specie, utrum à Christo præcepta sit, & Schrötelij.
25. ^{Disp. II.} D. I. Musæj de Sacra Coena, sintne corpus et sanguis Christi in ea realiter præsentia, contra Vorstium.
26. D. Havemanni Demonstratio quod vere adsit realiter ac substantialiter corpus Christi & manducetur & sanguis Christi ac bibatur in S. Eucharistia.
27. D. Alb. Graueri Disp. de Idololatriæ Corporis Christi festo M. Legdeus.
28. D. E. Gerhardij de Custodia Angelorum & Juvillij.
29. D. E. Gerhardij de Termino vitæ humanæ. Jacobi
30. D. Meisneri de Statu animarum separatarum & p. Lic. Derschow.
31. D. E. Gerhardij de Appellatione ad Supremum et incorruptum Judicem Jesum Christum, quam vulgo Citationem dicunt in vallem Josaphat, & Neumann
32. M. Alb. Elers Disp. Inaug. de Resurrectione carnis sub Pfd. D. C. Horneij.
33. D. E. Gerhardij de Claritate corporum nostrorum in futuro seculo & M. Hedenus.
34. D. E. Gerhardij de Natura et quidditate luminis gloriæ & Gebhardij.
35. D. Niemannij de Aeterna infidelium reprobatione & M. Hedenus.
36. Hildebrandij de Conscientia variisq̃ ejus casibus Disp. moralis & Juvilla.
37. Chemnitij Disp. Inaug. moralisæ practicae de Tentationibus Spiritualibus sub Pfd. D. Majoris.

38. D. Lütkemanni de Vero homine, Diss. Physico-
Theologica in qua ventilantur qst. 1. An Christus
tempore mortis verus homo permanserit. 2. de
mundo intelligibili 3. de Paradiso primi hominis
habitu primo.

FINIS.





4.
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
DIVINITATE
CHRISTI
CONTRA PHOTINIANOS

QUAM
D. O. M. A.
PRÆSIDE
HENRICO MARTINO
ECCARDO

S. S. Theolog. Doct. & Prof. Publ. Dn. Patruo suo æter-
nùm venerando

DIE XIX. MART.

PUBLICO EXAMINI SUBIICIT
ARNOLDUS ECCARDUS
Harpstadio - Oldenburgicus, Auctor.



RINTELI,
TYPIS VIDVÆ LVCIANÆ CIO DC LXIV.

ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO COMITI
AC DOMINO

DN. ANTHONIO
GUNTHERO

COMITI OLDENBURGICO ET DELMEN-
HORSTANO, DOMINO in Zevern ET
Kniephausen

COMITI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

DISPUTATIONEM ISTAM DEDICAT

CELSITVDINIS EIVS

Humillimus ac Devotissimus
Cliens

ARNOLDUS ECCARDUS.



Illustrissime, Celsissime Comes,
Domine Clementissime, Exer-
citationē hanc Theologicam,
Gloriosissimo Nomini Tuo in-
scriptam, humiliter demissēque
Tibi offero, atque ad pedes Tuos depono. Teme-
ritatis forsā notaverit me aliquis, quòd ego infi-
mæ sortis servulus tantum Heroa adire & com-
pellare non verear: quæ quoque cura, fateor, diu
me ita exercuit, ut quid facerem, anceps animi
penderem. Impulit me tandem, ut auderem sin-
gularis planè, ac prope divina in tanto dignitatis
fastigio, benignitas & clementia Tua, & insignis
ille amor in studia, Musarumque cultores, cujus
longè latèque fama didita est. Obversabantur
etiam animo maxima, & singularia beneficia
Tua, quæ in parentes meos, quamvis immeritos,
clementer contulisti: quæ uti tacitus præterire
non debeo, ita certò persuasus sum, fore, ut gratiæ
Tuæ radios, quibus eos illustrâsti, in me quoque



sis demissurus. Accedit & hoc, quòd, cùm ego in eorum sim numero, qui salutari auspicio Tuo reguntur, studiorum meorum fructus, si quidem aliquis est, ad Te Patriæ Patrem jure debet redire. Accipe igitur, Illustrissime Comes, munusculum hoc, qualecunque fuerit, fronte clementi & serena, illudq; non tam rei pretio, quod nullum est, quàm offerentis animo, Illustrissimo Nomini Tuo devotissimo, metire: & me, studia, meosque ulterius clementissimo Tuo patrocinio protege. Nostrum vicissim erit, Deum Opt. Max. assiduis precibus venerari, ut Tibi domi forisque omnia turta ac læta præstet: consiliis atque inceptis benignè aspiret: grandævam ætatem Tuam vegetet, fortunet, sospitet: faxit denique, ut nos populum Tibi commissum, quorum certè fata Tuis fatis illigata sunt, uti hæctenus, ita & porrò regas quàm diutissime, quàm felicissime. Scripsi in Academia Hasso-Schaumburgica, quæ est Rintelii ad Visurgim, anno clō Idc LXIV. xv. Calend. April.



I.



Uanto conatu Neophotiniani summa Christianæ religionis mylteria, & omnia ferè fidei capita impugnent; quantoque studio pestilentissimam hæresin suam, quæ jam tum, prohi dolor! multis in locis altas radices egit, longè latèque disseminatum eant; nemo forsan est, qui nesciat. Et quidem eò impudentiæ progressi sunt illi homines, ut non solum scripturam sacram, etsi in iis omnibus, quæ creditu & factu ad salutem sunt necessaria, satis claram & perspicuam, pessimè corrumpant, & in pravum sensum detorqueant; sed universæ etiam primitivæ ecclesiæ testimonium rejiciant: imò, quod dictu impium, & auditu horrendum, sanctam illam ecclesiam, ab ipso Christo ejusque Apostolis fundatam, erroris insimulare, & à Diabolo deceptam esse, asserere non vereantur.

II. Audiatur nunc tantum Joh. Volkelius, qui lib. 5. de vera religione (ita enim hæreticos suos libros inscribit) cap. 9. hunc in modum loquitur: *Verum ut ad illud, quod altero loco à nobis propositum fuit, (nempe Trinitatem) tandem aggrediamur; intelligendum est, adhuc veteratorem istum Satanam nequaquam satis habere. Ut enim sancta volumina & verè & perspicuè conscripta esse, & plenissimam sempiterna salutis rationem continere, tandem concedat: miro tamen artificio ex illis dogmata elicit, quæ partim gloria divinæ, partim*



humana saluti non parùm officiant. Atque huc primum pertinent errores, qui de Deo, Christo, & Spiritu sancto passim in Christiano orbe vigent. Istius enim hostis nostri artificio jam olim effectum est, ut homines nec satis intelligerent, quare ratione Deus esset unus, comminiscens in una illius essentia tres divinas personas, quarum prima sit Pater, altera Filius, tertia Spiritus sanctus: nec perciperent, quo pacto Deus, ut primus salutis nostra autor, per filium suum Iesum Christum salutis rationem peregerit; persuasi, hunc cum Patre eadem contineri essentiã, huiusq; ratione unum eundemq; cum illo esse: nec mente concipere possent, qua ratione ex Christi à mortuis resurrectione, nostra penderet colligique deberet resurrectio; statuentes in Christo Dei Filio duas naturas, nempe divinam & humanam. Hæc ille: quæ omnia profectò sine stupore nemo legerit.

III. Ecquid enim magis impium dici aut excogitari potest, quàm eam doctrinam, quam S. Apostoli, innumerique Dei Martyres uno ore professi sunt, pro qua etiam vitam & sanguinem profundere non dubitârunt, Diabolo adscribere, & humanæ saluti non parum perniciosam statuere? Quin imò eadem operâ totam scripturam, omnemque prorsus Christianam religionem è medio tollere & negare potuisset. Summa itaque necessitas flagitat, ut Orthodoxi pessimis istis hæreticis obviam obsistant, & ne quid ecclesia Christi ab illis detrimenti capiat, sedulò provideant. Hoc enim nî fiat, vereri meritò subit, ne latè grassans malum tantas sibi vires acquirat, ut remedium ei postea aut vix, aut ægrè adhiberi queat. •

IV. Nos præsentem hanc disputationem præcipue pro astruenda Divinitate Christi contra illos suscepimus, idq; non una de causa. Primò enim unicum illud à parte nostra adipiscen-

da



da æternæ salutis medium, fides inquam salvifica, quæ pro ob-
jecto habet meritum Christi, & gratuitas Dei promissiones ei
annexas, consistere planè non potest, nisi Christum non ve-
rum hominem solùm, sed simul etiam verum Deum agno-
scas. Etenim credere debemus omnes, quibus salus nostra
curæ & cordi est, Christum perfectissimâ suâ obædientiâ legi
divinæ præstitâ, vitam nobis æternam, qua propter lapsum
Protoplastorum exclusi eramus, promeruisse: passione quo-
que ac morte sua peccata nostra expiâsse, atque iræ & justitiæ
divinæ pro nobis satisfecisse. Hoc Christi meritum firmo
animi assensu complectentibus, omnemque in eo fiduciam
collocantibus, & præterea non secundùm carnem, sed secun-
dùm spiritum ambulantes, vitam æternam promittit divina
revelatio: qui contrà faciunt, æterno exitio destinant.

V. Sed neque Christus, si homo tantùm esset, vitam
æternam tot hominibus promereri potuisset; cùm quilibet
homo obædientiam, quantum quantum potest, legi divinæ
præstare teneatur, ut adeo ne sibi quidem ipsi præmium ali-
quod propriè commereri queat: neque etiam passione &
morte sua tridua pro hominum peccatis satisfacere, eosque
ab ira divina & æterna damnatione liberare potuisset, nisi mor-
ti ejus infinitum valorem addidisset divina natura. Itaque
Photiniani, ne Christum summum illum & æternum Deum
esse concedere cogantur, omne ejus meritum, satisfactionem
pro peccatis, justitiam nobis imputatam, &, ut verbo dicam,
totam fidem Christianam interpolant & evertunt.

VI. Deinde probata Divinitate Christi nulla amplius
ratio superest Photinianis, quare tremenda illa Trinitatis &
incarnationis mysteria tantopere impugnent, & pro impossi-
bilibus



bilibus habeant. *Mysterium Trinitatis quod attinet, concedunt illi, unam esse essentiam divinam, unam quoque in ea personam, quæ sit Pater, agnoscunt: plures in ea personas esse, in eorum numero collocant, quæ fieri nullo pacto possunt. Quod si jam probatum fuerit, non Patrem solum, sed & Filium esse verum Deum, omnes eorum rationes, quibus pluralitatem personarum in una essentia divina impugnant, concidunt, & ne probabilis quidem causa afferri potest, quare Spiritus S. non sit vel verus Deus, vel persona à Patre & Filio re ipsa distincta.*

VII. *Mysterium incarnationis in eo consistit, quod Christus in unitate personæ simul est verus Deus & homo. Verum hominem eum esse Photiniani non negant: sed eum simul verum Deum esse rectæ rationi repugnare clamitant. Probata itaque Divinitate Christi, necessario consequitur, unam personam simul esse posse Deum & hominem, quicquid illi ogganniant.*

II X. *Cæterum cum dogmata fidei in sacris literis vel expressis verbis contineantur, vel saltem per bonam & pravam consequentiam ex ea deduci possint; & verò ea, quæ priori modo in iis asseruntur, per consequentias probare non sit opus; ob inflexibilem tamen hæreticorum obstinationem utroque modo Divinitatem Christi astruemus. Primum itaque producemus ea loca, quæ expressè Christum Deum esse asserunt; idem deinde per firmas & invictas consequentias probaturi.*

IX. *S. Johannes I. epist. cap. V, 20 Christum vocat verum Deum. Sed scimus, inquit, Filium Dei venisse, & dedisse nobis mentem, ut cognoscamus verum illum (Deum;) Et su-*

002105



mus in vero illo, in Filio ejus Iesu Christo: ὁ ἄληθινὸς
 Θεὸς, hic est verus ille Deus, & vita illa aeterna. S. Paulus Tit. II,
 13. vocat eum *magnam Deum*. Jubet enim nos sapienter &
 justè & piè vivere in presenti seculo: expectantes beatam illam
 spem, καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ
 Χριστοῦ, & illustrem illum adventum magni illius Dei ac Serva-
 toris nostri Iesu Christi. Idem Rom. IX, 5. ita loquitur: Quo-
 rum sunt Patres, & ex quibus est Christus, quod ad carnē attinet
 ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, qui est super omnia
 Deus benedictus in secula. Huc accedunt ea loca, in quibus
 Christus Deus absolutè vocatur. Joh. I, 1. καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος,
 eratque illud verbum (quod est Christus) Deus. Cap. XX, 28.
 Thomas eum ita alloquitur: ὁ Κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου Domine
 mi & Deus mi. Allegant nonnulli quoque loca Act. XX, 28:
 Deus proprio sanguine acquisivit ecclesiam, & I. Tim. III, 16.
 Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ Deus conspicuus factus est in carne: Ve-
 rùm ex iis Divinitas Christi tantùm per consequentiam elici
 potest, hunc in modum: Qui proprio sanguine acquisivit ec-
 clesiam, conspicuus item factus est in carne, is est Deus. Sed
 Christus proprio sanguine acquisivit ecclesiam, conspicuus
 item factus est in carne. Ergo Christus est Deus.

Arg. prob.

X. Photiniani, cùm negare non possint, Divinitatem
 Christo in sacris literis tribui, hac ratione elabi se posse existi-
 mant, si voci *Deus* novam significationem affingant, & quàm
 plurimos Deos, superos, inferos, majores, minores, medioxu-
 mos inducant. Dicit itaque Volkel, lib. cit. cap. 10, Christum
 omnino verum Deum esse, inde tamen non sequi, eum esse
 summum illum rerum omnium moderatorem & Domi-
 num, cùm præter hunc infinita Deorum sit caterva. Probat

B

hoc



hoc primò ex ipsa vi & significatione vocis *Deus*, quæ pluribus rebus sit communis. *Significat enim hac vox*, inquit, *gubernatorem suprema aliqua potestate praditum, adiutorem, benefactorem ac defensorem.* Qui conceptus Dei cum non solum summo rerum omnium opifici, sed omnibus etiam angelis, & innumeris hominibus conveniat, consequens esse ait, innumeros quoque esse veros Deos. Probat *secundò*, quia usus ipse doceat, plures esse veros Deos, cum angeli, magistratus & iudices in scriptura Dii vocentur.

XI. Sed hinc nullo profectò Oedipo opus est, qui ad hæc deliria respondeat. Etenim si in vim & significationem vocis *Deus* inquirere velimus, dispiciendum est, quid per eam significare voluerint omnes, qui ea usi sunt, ve etiam nunc utuntur. Voces enim [non de iis agimus, quæ naturaliter aliquem affectum animi produunt, ut quando quis gemit, plorat &c.] non significant hoc vel illud ex se & sua natura, sed omnem suam significationem hominum placito acceptam referunt. e. g. Quòd vox *equus* eam significat rem, quam nos eâ auditâ concipimus, animal scilicet hinniens, hoc habet ex certa hominum impositione: quibus quidem si ita placuisset, idem, quod jam vocatur equus, lapidem vel arborem potuissent appellare, vel quocunque alio nomine insignire. Cujus rei ratio evidens est ex eo, quòd apud diversos populos diversæ quoque sunt voces. v. g. Quod Latini equum vocant, Græci nominant *ἵππον*, aliæ gentes aliis vocibus idem exprimunt. Scitè ita canit Venusinus ille vates:

*Multa renascentur, quæ jam cecidere; cadent quæ,
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & vis & norma loquendi.*

XII. Si-



XII. *Significat ergo hoc nomen (DEUS,) verba sunt Suarezii disp. Metaph. 29. Sect. 2. n. 4, quoddam nobilissimum ens, quod & reliqua omnia superat, & ab eo tanquam à primo authore reliqua omnia pendent, quod proinde ut supremum numen colendum est ac venerandum: hic enim est vulgaris & quasi primus conceptus, quem omnes de Deo formamus, audito nomine Dei.* Probamus hoc ex consuetudine omnium hominum, qui eam significationem huic voci semper tribuerunt. *πᾶσι τοῖς Ἕλλησι λέγει καὶ ὁ Βάρβαρος λέγει, καὶ ὁ ἠπειρώτης, καὶ ὁ θαλάττιος, καὶ ὁ σοφὸς, καὶ ὁ ἄσοφος.* *Hac in re Græcus cum Barbaro, mediterraneus cum insulano, sapiens consentit cum stulto: ut verba Maximi Tyrii Philosophi Platonici huc accommodemus. Nec, cum res in propatulo sit, proluxa demonstratione hinc opus est.*

XIII. *Ipsa quoque scriptura, uti hominum causâ conscripta est, ita quoque aliis, nisi communi usu tritis vocabulis non utitur: neque aliam iis imponit significationem, quam semper & apud omnes obtinuerunt. Et sanè eam non quemcunque gubernatorem suprema aliqua potestate præditum, adiutorem, benefactorem ac defensorem pro vero Deo habere, inde satis liquet, quòd unitatem Dei toties inculcat, & præter unum supremum rerum omnium Monarcham, cœli & terræ opificem, nullum alium Deum agnoscit. Intolerabilis itaque est Volkeli insania dicam, an malitia, qui dum alio modo se extricare non potest, tot Deorum millia in orbem invehit, ut neque quàm multæ species, nec nomina quæ sint, sit numerus. Sunt enim juxta illum veri Dei non solum omnes angeli, (quorum quantus sit numerus, colligere est ex Dan. VII, 10, & Apoc. VII, 2.) sed omnes etiam homines, qui aliqua potesta-*

B

te

te sunt præditi, adjuutores item, benefactores ac defensores, sive sint boni, sive scelerati & extremè impii. imò ipse etiam Beelzebub, princeps ille Dæmoniorum, de quo Matth. XII, 24. Luc. XI, 15.

XIV. Breviter igitur Volkelio & reliquis Photinianis respondemus, si ipsis cum Orthodoxis disputare collibitum fuerit, utantur vocibus in ea significatione, quam omnes homines & sacra scriptura iis tribuunt, nisi maximas nugas agere maluerint. De cætero illis per nos licet vel novas voces cedere, vel usitatis illis novas significationes imponere. Vocent equum, quod alii lapidem appellant; vel Deum, quod reliqui omnes asinum vocant: in qua significatione multos veros Deos esse, nemo ipsis negaverit.

XV. Jam dispiciemus, an ex usu nominis *Deus* probari possit, plures esse veros Deos. Concedimus quidem, in scriptura angelos & magistratus Deos vocari; sed quando id fit, vocem illam in propria & nativa significatione accipi negamus. Sæpiissime hoc usu venit, ut voces præter ea, quæ propriè significant, aliis etiam rebus æquivocè & impropriè tantùm tribuantur. e. g. *ἄνθρωπος* *Homo* propriè significat animal aliquod rationis particeps: nihilominus etiam pictura, quæ imaginem hominis repræsentat, homo vocatur. Eodem modo vox *Vulpes* propriè denotat animal aliquod ganniens: tribuitur tamen etiam æquivocè & μεταφορικῶς homini astuto. Similia exempla toto die occurrunt. An autem vox aliqua de eo, cui tribuitur, propriè, an impropriè tantùm & æquivocè dicatur, aliunde cognosci non potest, quàm si attendamus, in qua significatione semper usurpata fuerit. v. g. Vox *homo* de pictura impropriè & ὁμωνύμως dicitur, quia ab omnibus animalibus
ratio-



rationis compoti attribuitur. Eadem quoque ratio est de cæteris vocibus. Itaque cum *ſō Deus* ad designandum rerum omnium moderatorem & Dominum usurpetur, ut ante ostendimus, non potest aliis rebus præter ipsum, nisi æquivocè tantum & improprie tribui. Non majoris ergo momenti est hæc consequentia: Angeli & magistratus in scriptura vocantur Dii, E. Sunt veri Dii; quàm ista: Pictura vocatur homo, E. Est verus homo: vel illa: Herodes dicitur vulpes. E. Est verus vulpes.

XVI. Ex dictis tale emergit argumentum: Quicumque est verus & proprie ita dictus Deus, is est Ens illud optimum & perfectissimum, quod à se ipso existit, & à quo reliqua omnia dependent. Sed Christus est verus & proprie ita dictus Deus. E. &c. Minor adeo evidens est ex adductis à nobis scripturæ testimoniis, ut neque ab ipsis Photinianis negari possit. Non solum enim Christus absolute & simpliciter Deus vocatur, sed talia quoque epitheta huic voci adjiciuntur, ut de Deo æquivocè ita dicto planè intelligi nequeant.

Arg.

XVII. Tempus nunc est, ut singula scripturæ testimonia, pro astruenda Divinitate Christi th. 8. à nobis citata à Photinianorum calumniis vindicemus. Ad locum Joh. V, 20, ubi Christus *ὁ ἀληθινὸς Θεὸς* verus ille Deus vocatur, regerit Volkel. loc. cit. primò, se non diffiteri, Christum verum esse Deum, nec tamen eum æquè verum Deum esse ac Patrem, cujus beneficio consecutus sit, ut ita appellari possit. Verùm cum ex iis, quæ hæcenus de significatione nominis *Deus* differuimus, ad has nugas respondere cuilibet in proclivi sit, non est, quod iis diluendis diutius immoremur. Primo namque Dei conceptui adversa fronte repugnat, esse verum Deum, & nihilominus habere superiorem, & ab alio dependere.

XIX.



XIIX. Porro objicit, verba ista: *hic est verus ille Deus*, non esse referenda ad Jesum Christum, sed ad Deum Patrem, in cuius notitiam Christum nos deduxisse ibidem dictum fuerat. Probat hoc 1. Quia idem Johannes cap. XVII, 3. evang. solum Patrem dicat esse verum Deum, ut adeo, si hoc loco Christum verum Deum esse affirmaret, cum semetipso pugnaret. 2. Quia, cum vocibus *vero Deo* articulus in Græco præfixus sit, sermo hic fiat de illo vero Deo, cui omnium perfectissima ratione hoc nomen conveniat. Ejusmodi verò Deum non esse Christum, sed solum Patrem. 3. Quia Deus ille, cuius hic mentio fiat, idolis opponatur, quod de Patre sapissime, de Christo nusquam legi dicit. 4. denique, quia Christus hoc in loco à vero Deo distinguatur, quod fieri non posset, si ipse esset verus ille Deus.

XIX. Sed si verba S. Johannis ita intelligantur, uti jacent & sonant, & ut intellectus noster secundum naturalem concipiendi modum super ea fertur, [ita autem omnino intelligenda sunt, aliàs enim nihil certi maneret in tota scriptura] non potest hic per verum illum Deum alius intelligi, nisi Jesus Christus. Postulat enim hoc propria pronominis *is* significatio, ut verba illa sequentia ad id referantur, quod proximè antecedeat. Interim neque hoc negamus, dari quædam loca, in quibus particula relativa respiciat remotius aliquid antecedens, ut II. Thess. II, 9. &c. Veruntamen quid & de quo ibi dicatur, ex antecedentibus & consequentibus satis elucet. Quænam verò nos ratio cogit, ut verba ista: *hic est verus ille Deus*, non referamus ad Jesum Christum, ad quem secundum naturalem interpretandi modum pertinent, sed ad verum illum Deum antè nominatum detorqueamus?

XX.



XX. Enim vero rationes illæ à Volkelio in contrarium allatæ plurimæ sunt leviores. Ad 1. & primò, Hæreticum prorsus stupidum esse, cum non videat, objectionem illam proprias ejus hypotheses evertere. Si enim S. Johannes eo in loco solum Patrem, & neminem præter eum verum Deum esse dicit, qua fronte ille innumeros veros Deos inducit, nisi & ipse cum Johanne pugnare velit? Deinde negamus, S. Apostolum loc. cit. affirmare, solum Patrem esse verum Deum. Verba ejus hæc sunt: *Hæc est autem vita æterna, òνα γινώσκωσί σε τόν μόνον ἀληθινόν Θεόν, ut cognoscant te [Patrem] esse illum solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Ubi articulus præfixus particulæ μόνον solum satis ostendit, eam non construi cum Patre, per pronomen σε te denotato, quasi solus Pater dicatur esse ille verus Deus; sed pertinere ad illa verba: ἀληθινόν Θεόν verum Deum: ut sensus sit, *Pater est ille solus verus Deus, vel: Pater est ille verus Deus, qui solus est, i. e. qui est unicus & singularissimus.* Non itaque sequitur: *Pater est ille solus verus Deus, i. e. qui est unicus, E. Filius non est ille solus verus Deus: cum Patris, Filii & Spiritus S. una numero sit essentia.* Vid. Bezam in annot. in hunc locum.

XXI. Ad 2. resp. Volkeliū egregiè petere τὸ ἐν ἀρχῇ. In quæstione enim est, an Christus sit Deus Opt. Max? vel, ut ipse, quamvis ineptè [est enim unus tantum verus Deus, ut adeo non sit alius perfectissima, alius minus perfecta ratione Deus] loquitur, an Christus perfectissima ratione sit Deus. Quod nos probamus ex hoc loco, ubi id expressè asseritur. Absurdus igitur est hæreticus, dum nostram assertionem impugnaturus id pro ratione affert, de quo controversitur.

XXII. Porro ut id, quod de articulo ibidem additur, intelli-



intelligatur, notandum est, Volkeliū, ut verum illum Deum & summum rerum omnium Monarcham ab innumeris suis Deastris distinguat, tale discrimen adducere, ut vocem θεός, quoties ei præfigatur articulus, summi & æterni illius Numinis propriam esse, nec aliis præter ipsum tribui dicat. Sed hoc ipso porrigit nobis gladium, quo ipsum jugulemus. Tribuitur enim Christo hæc vox cum præfixo articulo aliquoties in scriptura: ut patet non solum ex adducto versu cap. V. l. epist. Joh. ubi ὁ ἀληθινὸς Θεὸς *verus ille Deus* vocatur; sed etiam ex Joh. XX, 28, ubi Thomas eum ita alloquitur: ὁ Κυριός μου καὶ ὁ Θεός μου, *Domine mi & Deus mi*. Sed excipit hic Volkel. *Pronomen μου, voci θεός adjunctum, articulo eidem præposito vim consuetam ita adimere, ut jam non illum unum Deum, sed eum significet, quem Thomas ut divinum Dominum sibi colendum, ex resurrectione ipsius à Deo facta agnoverit.* Ferream hominis frontem! Quasi verò Thomas plures sibi Deos colendos agnoverit, quàm Paulus, qui unum tantum habuit, ut ipse testatur I. Cor. II X, 6. Deinde, quid vim articuli consuetam infringit Act. XX, 28: *Attendite igitur vobis ipsis & toti gregi, verba sunt S. Pauli, in quo vos Spiritus S. constituit Episcopos, ποιμαίνειν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, ad pascendam ecclesiam Dei, quam proprio illo sanguine acquisivit?* Quis verò est ille Deus, qui proprio sanguine acquisivit ecclesiam, nisi Jesus Christus: cum neq; Pater neque Spiritus S. carnem aut sanguinem habeant? Ex dictis elucet, ex ipsa etiam Photinianorum sententia sequi, Christum esse Deum Opt. Max.

XXIII. Ad 3. Re 1. Volkeliū iterum petere id quod est in principio. Si enim verus ille Deus, de quo hic sermo est, idolis opponitur, utique etiam Christus idolis opponitur, cum

cū in is ipse sit verus ille Deus, de quo Johannes sermonem facit. Præterea falsum est, Christum in scriptura nusquam idolis opponi. Paulus enim I. Cor. II, 4. 5. 6. multis *λεγομένοις θεοῖς* & falsis Diis, per quos ethnicorum idola intelligit, (de his enim sermonem instituerat) opponit *unum Deum, Patrem illum à quo omnia, & nos in ipso; & unum Dominum Iesum Christum, per quem omnia, & nos per ipsum.*

XXIV. Ad 4. 3. Sumitur vox *Deus* bifariam, vel *essentialiter*, ut loquuntur, prout est omnibus tribus in Divinitate personis communis, ut cū Deus vocatur Spiritus, omnipotens, æternus; vel *personaliter*, prout uni tantum personæ, puta Patri, vel Filio, vel Spiritui S. competit. e. g. Paulus Gal. IV, 4. inquit: *Misit Deus Filium suum in mundum; & Act. XX, 28: Deus proprio sanguine acquisivit ecclesiam.* Illic vox *Deus* soli Patri, hic verò Filio tantum competit. Quoties ergo *Christus* in sacris literis à Deo distinguitur, *Deus* sumitur non *essentialiter*, sed *personaliter*, scil. vel pro Patre, vel pro Spiritu S. à quibus re ipsa Christus est distinctus.

XXV. Contra locum ex Tit. II, 13. th. 8. citatum objicit Volkel. 1. Se ea, qua hætenus disputatum sit, ratione, Christum non Deum tantum, sed etiam magnum Deum esse confiteri. Facile hoc ei credimus; Nam ea hætenus disputavit ratione, ut omnes angelos, reges, principes, & innumeros alios homines, ipsum etiam Diabolum Deos fecerit. Mirum igitur esset, si Christum è numero Deastrorum suorum exclusisset.

XXVI. Dicit 2. Per magnum illum Deum hic non intelligi Christum, sed Deum Patrem: ita ut sensus hujus loci sit, *magni illius Dei (Patris) gloriam tunc, cum Christus adveniret, mirificè illustrandam esse; quòd quanta sit Dei majestas, tunc*
C appari-

appariturum sit. Probat hoc primò, quia magni illius Dei, de quo hic loquitur Paulus, gloria apparitura dicatur; Christus autem non in sua, sed aliena, nempe Dei Patris gloria venturus sit. Matth. XVI, 27. Mar. IX, 38. Deinde, quia magnus ille Deus & Servator noster distinctè hic commemorentur.

XXVII. *¶* Paulus sæpe meminit ἐπιφανεῖας illius quæ futura est extremo iudicio, semper autem eam Filio, nunquam Deo Patri tribuit: ut videre est ex II. Thess. II, 18. I. Tim. VI, 13. II. Tim. IV, 1. 8. Et ratio in promptu est. Non enim Pater, sed Christus est is, qui ad extremum illud iudicium peragendum venturus est: quippe *qui est definitus à Deo* (visibilis) *judex vivorum & mortuorum* Act. X, 42. Nulla igitur firma potest reddi ratio, quare hic futura illa ἐπιφανεῖα seu illustris ille adventus ascribendus sit Deo Patri, & non Jesu Christo, cui tamen semper in aliis locis à Paulo tribuitur. Nam quæ Volkel objicit, facili negotio dilui possunt. Ad 1. resp. Christum non solum in Patris sui, sed etiam in propria sua gloria venturus est, ut ipse testatur Matth. XXV, 31. ut adeo ex eo, quòd gloria Dei hic apparitura dicitur, minimè sequatur, Christum non esse illum magnum Deum, de quo hoc loco sermo sit. Est enim gloria divina tribus in Divinitate personis communis, & una eademque est gloria Patris, Filii & Spiritus S. Ad 2. *¶* Non majori probabilitate ex his verbis: *Magnus ille Deus & Servator noster* sequitur, describi hic duas distinctas personas, quàm existis: Θεὸς καὶ πατὴρ Ἰησοῦ χριστοῦ *Deus & Pater Jesu Christi*, colligi potest, aliam hic personam vocari Deum, aliam verò Patrem.

XXIX. Verba Pauli ex Rom. IX, 5. th. 8. allegata et si adeo sunt perspicua, ut vel ex iis solis Divinitas Christi sufficienter

cienter probari possit: Volkel. tamen contra objicere haud erubescit 1. Christum non esse ex seipso suaque natura Deum super omnia, cum ipsi à Patre omnia sint subiecta. 2. Neque vocem *omnia* hoc loco simpliciter ac universè omnia designare, quæ sunt, quæ fuerunt, quæ futura sunt. 3. Vocem Græcam, quæ *omnia* reddita est, optimè verti posse *omnes*, ita ut Christus omnium hominum caput ac rex intelligatur. *Verùm*, addit, *quid hoc ad summum illum Deum constituendum habet momenti?*

XXIX. Verùm hæretice, quid nugæ tuæ ad egregium hoc testimonium evertendum habent momenti? Ita argumentamur: Quicumque est Deus super omnia benedictus in secula, is est verus ille & æternus Deus. Sed Christus est Deus super omnia benedictus in secula. E. Christus est verus ille & æternus Deus. Minor est S. Pauli loc. cit. Major probatur, quia periphrasis illa usque adeo est summi illius Numinis propria, ut simpliciter etiam *ὁ εὐλογητός benedictus ille, & ὁ ὢν εὐλογητός εἰς τῶν αἰώνων benedictus ille in secula* præter ipsum nemo dicatur. Ut patet ex Mar. XIV. 61. Rom. I, 25. II. Cor. XI, 31.

XXX. Ex his perspicere est, quàm candidè hic Volkelius agat, qui dum hoc testimonium omni exceptione majus esse videt, tandem verba ejus singulatim vellicat. Ad objectiones ejus verbo respondemus, nos, quod ad hunc locum attinet, neque ex eo, quòd Christus Deus vocatur, vel quòd super omnia aut super omnes esse dicitur, sed ex tota hac periphrasi: *qui est Deus super omnia benedictus in secula*, eum esse verum illud & æternum Numen probare. Si vir est Volkel. ostendat hanc periphrasin alii præter Deum Opt. Max. convenire posse: quod sine dubio præstabit ad Calendas Græcas.

Arg.

XXXI. Tantum de expressis scripturæ testimoniis: Eandem Divinitatem Christi jam per consequentias ex iisdem sacris literis petitas demonstrabimus. Digeremus autem eas melioris ordinis gratiã in tres classes: quarum primã ex collatione utriusque Testamenti desumitur. Etenim cum multa, quæ in V. T. de summo & unico Israël's Deo prolata sunt, in N. foedere Jesu Christo accommodentur; ex dictis istis tam certa pro Divinitate ejus necesse possunt argumenta, ut illi qui utrumque foedus recipiunt, illorum vim nullo modo effugere possint. Nos in præsentia duo tantum, eaquæ maxime illustria offeremus.

Arg. XXXII. Primum argumentum: Ad quem dictum est olim: *Tu in initio, Domine, terra fundamenta jecisti, & cæli sunt opus manuum tuarum: Quæ interibunt, tu autem persistas: & universa ut vestis veterascent, teq; immutante illa immutantur. Verum tu idem es perpetuo, & anni tui non finiuntur,* is est Deus Opt. Max. Sed ad Christum hæc omnia dicta sunt. E. Christus est Deus Opt. Max. Major patet ex Psalm. CII, 26. neque à Photinianis negari potest. Minor probatur ex Hebr. I, 10. ubi omnia hæc verba Christo aptantur: ad quem locum quid Volkel. excipiat, paulo post videbimus.

Arg. XXXIII. Alterum argumentum est tale: Cujus gloriam quondam vidit Esaias, & de quo loquutus est, cum populo Israël'ico cæcitatem comminaretur, is est æternus ille Israël'is Deus. Sed Christi gloriam quondam vidit Esaias, & de eo locutus est, cum populo Israël'ico cæcitatem comminaretur. E. Christus est æternus ille Israël'is Deus. Major liquet ex Esa. VI. ubi Propheta ita loquitur: *Vidi Dominum sedere in solio sublimi & edito seraphim quoque superne imminebant ei. Et*
cla-

clamabat alius ad alium, & dicebat, sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum, plena est universa tellus majestate ejus - Dicebam ergo, *Vae mihi, quoniam ad silentium redactus sum - eò quod oculi mei viderunt Dominum exercituum - Vocem quoque Domini audiebam dicentem, Quemnam mittam? aut quis ibit nobis? Respondebam ergo, En ego, mitte me. Dicebat ille, Vade, & dicito populo isti, Audiendo audite, & ne intelligatis: & videndo videte, neque cognoscatis: Crassum reddito cor populihujus, & aures ejus fac hebetes, & oculos ejus obline: ne forte vel oculis suis videat, vel auribus suis audiat, vel corde intelligat, quò conversus saluti restitatur.* Hæc omnia de solo illo Israël Deo esse prolata sole clarius est tum ex clamore angelorum, qui ter sanctum prædicant *Iehova Zebaoth*; tum ex confessione ipsius Prophetæ, qui se *Iehova Zebaoth* Dominum exercituum vidisse testatur. Hoc verò nomen testibus non solum scripturâ, sed ipsis etiam Photinianis, summi illius & æterni Israël Dei proprium est.

XXXIV. Minor est S. Johannis cap. XII, 37. & seqq. *Quum autem tot signa, inquit, coram eis edidisset (Jesus,) non credebant in eum. Ut sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, Domine, quis credidit sermoni nostro, & brachium Domini cui retentum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excacavit oculos eorum, & obduravit corda eorum: ne videant oculis, & intelligant corde, & sese convertant. Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam ejus, & loquutus est de eo. Veruntamen etiam multi ex primoribus crediderunt in eum: sed propter Phariseos hoc non profitebantur, ne synagogâ moverentur.* Totum hunc contextum ideo adscripsimus, ut evidenter pateat, per eum, cujus gloriam Esaias vidisse dicitur, neminem hic intelligi, nisi Jesum Christum.



XXXV. Sed Volkel. lib. cit. cap. 13. pro more suo & huic loco fidiculas suas applicat, & parenthesin nescio quam comminiscitur, cui versiculus 28. cap. cit. Joh. unà cum tribus seqq. sit includendus: ut ita verba ista: *Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam ejus, & loquutus est de eo*, referenda sint ad Deum Patrem, non ad Christum. Verùm quis hæc non videt manifestò esse detorta? Totus contextus loquitur de Christo, & nulla fit mentio Dei Patris. Contra ipsum quoque naturalem interpretandi modum est, per eum cujus gloriam hic vidisse, & de quo Esaias loquutus esse dicitur, alium intelligere, quàm eum, in quem Judæi multis quamlibet editis signis credere noluisse antea dicuntur, & in quem multos ex primoribus credidisse, continuò subjungit Apostolus. Porrò objicit, quamvis concedatur, Esaiam Christi gloriam vidisse, & de eo locutum esse, inde tamen non sequi, Christum jam tum extitisse: quia Propheta futuram, non præsentem ejus gloriam prospexerit. & Esaias vidit gloriam summi & æterni Israëlis Dei, ut ostendimus. Si igitur Christi gloriam tum vidit, & de eo loquutus est, Christus est Deus Opt. Max. Qui uti est ab æterno, ita quoque Esaiæ tempore extitit.

XXXVI. Secunda classis nititur iis scripturæ locis, quæ Christo tribuunt id, quod soli vero & æterno Deo competit: ex quibus pronâ consequentiâ elicitur, Christum esse summum illud Numen. Nos primò ita argumentamur: Quicumque est creator omnium rerum, is est Deus Opt. Max. Sed Christus est creator omnium rerum: E. Christus est Deus Opt. Max. Majorem negare Photiniani nequeunt, & passim in scriptura extat. Esa. XLIV, 24: *Ego ego Dominus faciens omnia, cælos extendo solus, & mea virtute terram expando.* Job. IX, 8: *Qui*



Qui cælos extendit solus. Minor probatur ex Joh. I, 3: Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil, quod factum est. Vers. 10: Mundus per eum factus est. Col. I, 16: Per eum condita sunt omnia quæ in cælis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates: Omnia per eum & ejus respectu condita sunt. Et ipse est ante omnia, & omnia per ipsum consistunt. Hebr. I, 10: Tu in initio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.

XXXVII. Tamen si verò omnia hæc dicta creationem omnium rerum Christo tam expressè tribuunt, ut clarioribus verbis nihil à quoquam dici possit; Volket. tamen, ut ea depravet, nullum non lapidem movet. Et quidem quando S. Johannes omnia per verbum illud, quod est Christus, facta, & sine eo factum esse nihil, quod factum est, asserit, ille vocem *omnia & nihil* non simpliciter accipiendam esse dicit, quasi omnia, quæ sunt, quæ fuerunt, quæ futura sunt per Christum sint facta, & horum nihil sine eo factum sit: sed restringendam ad ea omnia, quæ per Christum hominem facta sunt, & porro quæ quoquo modo ad N. Fædus pertinent. Ita autem hæc verba intelligenda, i. e. torquenda esse, probat 1. Quia Johannes scribere non debuerit alia, quàm quæ ad Novum fædus pertinent. Quid tum hæretice? Probasse debebas, ad Novum pactum non pertinere, Christum esse omnium rerum creatorem. Probat 2. Quia S. Apostolus de Jesu Christo homine sermonem instituerit: hæc enim nomina (*Iesus Christus*) alii præter hominem convenire non posse. Mens ejus huc redit, Johannem Christo omnium rerum creationem tribuere non potuisse, cum is non sit verum illud Numen, sed tantum homo. Atque ita manifestò iterum petit *ἰὸ ἐν ἀρχῇ*. Ad hæc purum

rum putum commentum est, loc. cit. ea tantum commemo-
rari, quæ per Christum ut hominem facta sunt; cum ibi S.
Apostolus Divinitatem Christi, & quæ ille ut Deus fecit, tam
egregiè exponat, ut oculis prorsus captus sit oportet, qui hoc
non videat. Ita enim ille: *In principio erat Sermo ille, & Ser-
mo ille erat apud Deum, eratque ille Sermo Deus. Hic (Sermo)
erat in principio apud Deum. Omnia per hunc (Sermonem)
facta sunt &c.*

XXXIIX. Ad vers. 10. ejusdem cap. ubi *mundus per
Christum factus* dicitur, respondet Volkel. 1. Per *mundum* hic
non intelligi hanc coeli terræque machinam, sed mundum il-
lum futurum, de quo II. Pet. III, 13: *Cælum novum ac terram
novam secundum promissionē ejus expectamus, in quibus justi-
tia inhabitat. At inquires, [ita sibi paulo post rectè objicit] quo
pacto futurus est ille mundus, si jam per Christum factus est? - Re-
spondemus ait factum eum esse, quatenus nunc primùm nobis per
Christum est revelatus, ejusque certa spes nobis facta est, ita ut
nunc primùm quodammodo videatur extitisse. Observatu di-
gna hic est una atque altera significatio *facere*, quæ hæcte-
nus latuit, & semper quoque latuisset, nisi Volkelius & Socii
ejus eam à perpetuis tenebris vindicassent. Hic *facere* idem est
quod *revelare*: & mundum facere, idem quod mundum fu-
turum revelare, & certam ejus spem facere. Dicit 2. Per *mun-
dum* hic intelligi homines in mundo. Sed neque sic satis fe-
liciter cedit ejus torsio, cum is, qui homines fecit, etiam cœ-
lum & terram creaverit. Ergo verbum *facere* iterum conjici-
tur in equuleum, donec alia significatio, quæ est *illuminare &
reficere*, exculpatur. Hinc mundum facere, & homines illu-
minare & renovare idem sunt. Quid non comminiscitur fal-
sitas*

litas, ne lucem veritatis aspiciat? Sed ita *μωρολογεῖν* oportet eum, qui divinæ veritati bellum indicit.

XXXIX. Contra locum I. Col. I, 16. objicit Volkel, r. Paulum ibi non asserere, per Christum ipsum cœlum & terram, sed omnia quæ sunt in illis, condita esse; neque ista simpliciter omnia, sed ea tantum, quæ intellectu sunt prædita, angelos scilicet & homines. R. 1. Non majoris virtutis & potentia est condere omnia, quæ sunt in cœlo & terra, quam ipsum cœlum & terram creare, & cui unum competit, eidem & alterum conveniat necesse est. R. 2. S. Apostolus sine ulla restrictione ad angelos & homines in genere dicit, omnia quæ sunt in cœlis & terra, visibilia & invisibilia per Christum condita esse. Multa ille quidem hic regerit, quæ omnia in medium proferre nihil attinet. Et posito, verba Pauli ita limitanda esse, consequens nihilominus erit, Christum esse creatorem omnium rerum: cum angeli & homines ab alio non sint creati, quam à quo reliqua omnia sunt facta.

XL. Itaque cum hac ratione elabi se non posse videret Volkel, uti supra in verbo *facere*, ita & in *ἵσθαι* condere seu *creare* inauditam quandam *ὁμωνυμίαν* seu æquivocationem commentus, idem illud hic esse dicit à renovare, reformare & in novum statum traducere. Hinc verba Pauli ita esse torquenda: *Per Christum condita* [i. e. reformata & in novum statum traducta] *sunt omnia*, (non quidem omnes arbores, lapides & pecora, sed omne tantum angeli & homines) *quæ sunt in cœlis & in terra*. Si ita vocibus novas significationes affingere licet, quid certi non dicam in scriptura, sed in ullo Auctore manebit? Multis quidem hæreticus adductis scripturæ locis probare conatur, verbū *κτίσειν* seu *creare* sæpius renovandi vim habere:

D

sed



sed quædam eorum non ad rem faciunt, ut Rom. II, 19: quædam tribuunt Christo creationem omnium rerum, ut Eph. III, 9. &c. & sic petit id, quod est in principio: in quibusdam mentio fit novæ creaturæ, vel novi hominis, qui secundum Deum conditus est, ut Gal. VI, 15: Eph. IV, 24 &c: atque ita pugnat contra seipsum. Si enim *condere* & *creare* his in locis idem est quod *renovare*, quæ adjici potest *non novum*? cum non rectè dicatur renovari novus homo? Scivisse debebat hæreticus, aliud esse condere & facere aliquid ἀπλῶς seu simpliciter; & aliud novum aliquid condere seu facere: hoc est renovare, illud non item.

XLI. Locus ex Hebr. I, 10. th. 36. allatus Volkeli cerebrum ita frangit, ut quid agat, quamve infingat viam, planè ignoret. Dicit I. Hæc verba ad Christum primò non pertinere, neque ad eum ab ipso Psalmographo directæ, sed tantum de eo prolata esse. Verùm *dat sine mente sonos, dat cassa & inania verba*. Etenim, quem in casu vocativo exprimit Psalmographus, ad eum sermonem suum dirigit, illum compellat & alloquitur. Sed Christum in casu vocativo exprimit Psalmographus. E. Ad eum sermonem suum dirigit, illum compellat & alloquitur. Majorem nemo nisi mente motus negabit. Minor probatur ex verbis Psalmi cit: *Tu in initio, Domine, terra fundamenta jecisti* &c: Quæ si de Christo dicta sunt, uti omnino sunt, & ille concedit, ad ipsum etiam sunt directæ.

XLII. Dicit. 2. Non omnia verba hujus testimonii ad Christum esse referenda, sed hæc tantum; *Quæ interibunt, tu autem perstas*, ad eum pertinere, priora verò: *Initio tu, Domine, terra fundamenta jecisti, & cæli sunt opus manuum tuarum*, non item. Probat hoc primo, quia verba illa Psalmi non sint
ad

ad Christum directa, sed tantum de eo prolata. At hoc falsum esse ostendimus. Probat secundò, quia non omnia ad scopum, quem D. Auctor sibi præfixit, faciant. *Thesin* namque, quam Auctor sibi confirmandam proposuerat, non esse, Christum esse cæli terræq; creatorem - sed Christum, cum consedit ad dextram majestatis in cælestibus, tantò Angelis præstantiorem factum esse, quantò excellentius præ illis nomen hereditavit. Verùm quis non videt Diabolicam hominis malitiam, qui nihil pensi habet etiam evidentissima scripturæ verba impugnare? Quis enim ille est, qui pereuntibus cælo & terra permanens dicitur, nisi is ipse, de quo dictum fuerat, quòd ea omnia creaverit? Quis est, ad quem Psalmographus ait: *Tu autem perstas*, nisi is ipse, ad quem prius dixerat: *Tu in initio, Domine, terræ fundamenta jecisti*? Quod de thesi D. Auctoris objicitur, ex ipsis Auctoris verbis confutamus, qui thesin suam cap. cit. vers. 1. & seqq. ita proponit: *Multis vicibus multisque modis olim Deus loquutus Patribus in Prophetis, ultimis hisce diebus loquutus est nobis in Filio, per quem etiam secula condidit. Qui quum sit effulgenti gloria, & character personæ illius, sustineatq; omnia verbo illo suo potente, purgatione peccatorum nostrorum per se ipsum facta, sedit ad dextram majestatis illius in excelsissimis. Tantò præstantior factus Angelis, quantò excellentius præ illis sortitus est nomen. At quomodo S. Auctor hîc tantum agit de ea præstantia, quam Christus tum demum, cum purgatione peccatorum nostrorum facta ad dextram Dei consedit, accepit; per quem etiam secula seu mundum conditum, & quem omnia verbo illo suo potente sustinere seu conservare affirmat?*


XLIII. Secundum argumentum; Quem S. Paulus

D 2

in

Arg. in Dei forma extitisse, ipsique Deo æqualem esse dicit, is est
 verus ille & æternus Deus. Sed Christum in forma Dei exti-
 tisse, ipsique Deo æqualem esse S. Paulus dicit. E. Christus
 est verus ille & æternus Deus. Minor manifesta est ex Phil. II, 5:
*Itaque is sit affectus in vobis, qui fuit & in Christo Iesu: Qui
 quum esset in forma Dei, non duxit rapinam, parem esse cum
 Deo. Sed ipse se inanivit, formam servi acceptam, similis hominibus
 factus: Et habitu compertus ut homo, ipse se summisit, factus oba-
 diens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hic per formam
 Dei nihil aliud intelligi, quàm ipsam naturam divinam, inde
 perspicere est, quòd S. Apostolus Christum in ea fuisse dicit,
 antequam formam servi, seu humanam naturam assumeret,
 & hominibus similis factus, atque habitu compertus fuerit ut
 homo. Qua vero ratione Christus, prius quàm homo fieret,
 in Dei forma esse potuit, nisi per eam natura divina intelliga-
 tur? Major per se clara est, tum quia contradictionem impli-
 cat, aliquem esse in forma Dei, seu habere naturam & essen-
 tiam divinam, & nihilominus non esse verum Deum: tum
 quia nemo, qui non ipse sit Deus, Deo æqualis dici potest.
 Æqualitas enim uti propriè inest quantitati; (Sunt enim *æqua-
 lia* secundum Aristotelem lib. 5. Metaph cap. 5, *quorum una
 est quantitas*) ita κατ' ἀναλογίαν, tribuitur etiam iis, qui sunt
 ejusdem perfectionis, virtutis, potentia, & ut verbo dicam,
 quorum neuter neutrum in perfectione aliqua antecellit. Im-
 possibile verò simpliciter est, ullam creaturam produci posse,
 quæ Deo sit æqualis; cum hoc ipso, quòd creatura est, à Deo
 dependeat, & perfectionem non infinitam, sed certis cancellis
 circumscriptam habeat.

XLIV. Volkel. hic, excipit, per formam Dei, in qua
 Chri-



Christus fuisse dicitur, non intelligi naturam & essentiam divi-
nam, quia Paulus de Jesu Christo homine verba faciat, quòd
perspicuum sit tum ex ipso Jesu Christi que nomine, tum ex
attributis, qualia sunt *seipsum exinanire, atque humiliare, oba-*
dientem se Deo prestare, & quidem usque ad mortem; à Deo ex-
tollì & premio donari: quæ omnia in Deum altissimum, im-
mutabilem & immortalem cadere nequeant. R. Verum est,
Deum illum verum & æternum secundum Divinitatem suam
alteri se submittere, & obædientem prestare non posse, & hoc
neque S. Apostolus, neque nos asserimus. Hoc verò ipsum
in causa fuit, quòd, cum Jesus Christus in forma Dei esset, ipsi-
que Deo æqualis, forma servi se induerit, & humanam sibi na-
turam univerit, ut in ea Deo Patri suo obædire, & mortem cru-
cis sustinere potuerit. Sed mens Volkeli, quam perplexè
proponit, hæc est, Jesum Christum, cum sit verus homo, ante
in Dei forma, & verum Deum esse non potuisse: atque ita rur-
sus principium petit.

XLV. Dicit 2. Locum hunc nostram de divina Chri-
sti natura sententiam planè evertere. Probat hoc primò, quia
is, qui Deus est, in Dei forma esse, & Deo æqualis dici nequeat;
quia nihil sibi met ipsi sit æquale. R. Omnino necesse est,
eum qui Deus est, in Dei forma esse, seu naturã divinã habere:
neque nos intelligimus, quomodo aliquis sit Deus, qui tamen
non sit in forma Dei, seu naturã divinã præditus. Quando ve-
rò Christus Deo æqualis dicitur, sumitur vox Deus non essen-
tialiter vel pro essentia divina, hæc enim est re ipsa eadem cum
Christo Deo, sed personaliter, seu pro Deo Patre, à quo Chri-
stus revera est distinctus. Probat secundò, quia Christus formã
& æqualitatem Dei deposuisse dicatur, id autem in altissi-



mum Deum cadere nequaquam posse. Sed ubi S. Paulus affirmat, Christum formam & æqualitatem Dei deposuisse? Allegat Volkel. verba ista: *Non rapinam arbitratus est*: Ex iis verò minimè id sequitur, quod ille vult. Et quidem habent verba hæc duplicem interpretationem, unam proponit Beza in annotat. in hunc locum: *Christus ille Deus, inquit, æterna gloria ac majestate præditus, sciebat quidē sibi jus fasq; esse non in humili carne apparere, sed cum magnificentia Deo digna: verum maluit sese demittere.* Alteram affert & sequitur B. Calixtus in expositione in hanc epistolam: *Jesus Christus, cum esset in forma Dei, non duxit sibi hoc rapiendum, ut venturus ad homines in magnificentia & majestate quanta Deum aliàs decet, veniret, & palam omnibus se Deum declararet.* Quæcunque tamen interpretatio vero sit similior, ne verbo quidem meminit Paulus, quòd Christus forma Dei aliquando se exuerit.

XLVI. Dicit 3. Per Dei & servi formam Apostolum hic non intelligere naturam aliquam substantialem, neq; hujus loci sensum esse, Christum essentiã divinã præditum humanam sibi naturam associãsse: sed ideo eum dici in forma Dei extitisse, ipsiq; Deo æqualem fuisse, quòd tanta potestate præditus fuerit, *ut mari, ventis, morbis, morti denique summa cum potentia imperaret, ideoque à plurimis divino honoris atque invocationis cultu afficeretur*: Hanc Dei formã & æqualitate depositã servi naturam, i. e. conditionem eum accepisse, *se q; ab omnibus despici, calumniis onerari, injuriis affici, flagellis turpissimè verberari, ac denique ignominiosa cruci affigi sustinuisse.* & primò; Hoc pacto ipsi quoque Apostoli in Dei forma, Deoque æquales fuisse rectè dicerentur, cum & hi ipsi miracula iis, quæ



quæ à Christo edita sunt, non inferiora exhibuerint. Hinc etiam gentiles (quibus nihilo meliores sunt Neophotiniani, Christum, quem tamen pro nudo homine habent, divino cultu afficientes) Paulo, quem Jovem, & Barnabæ, quem Mercurium appellabant, sacrificare & divinum honorem habere voverunt, ut Lucas memorat Act. XIV.

XLVII. *Secundò* pugnat quoque Volkelius cum semetipso, dum Christum acceptâ servi formâ divinam deposuisse dicit. Tantum enim abest, ut Christus tempore passionis suæ ea omnia non præstiterit, in quibus ille formam Dei collocat, ut potius admirandis miraculis majestatem suam egregie tunc patefecerit. Milites à Pontificibus & Scribis ad ipsum capiendum missos verbo prostravit humi: servum, cui Petrus aurem absciderat, sanitati restituit: ipso in cruce pendente, sol præter omnem naturæ cursum defecit: Latro, salute sua ipsi commendata, pro divino eum Domino agnovit: Deinde magno cum clamore spiritum Deo reddidit. Eo expirante quot, quantâque signa edita fuere: Velum templi scissum: rupes dissiluisse: terra mota: monumenta sanctorum aperta: adeo ut ipse centurio & reliqui astantes summo timore perculsi, eum verum Dei filium esse prædicarent. Quod si igitur forma & æqualitas Dei in patrandis sita est miraculis, si unquam ante, tunc quàm maximè Christus in ea fuit.

XLIX. *Tertiò* contradicitur hoc pacto ipsi Paulo, qui Christum prius in Dei forma fuisse docet, *quàm servi formam acceperit, hominibus similis factus, & habitu compertus fuerit ut homo.* Ex Volkeli verò sententiâ contrarium potius sequitur. Similis enim factus est Christus statim à nativitate sua reliquis, humilis etiam & contemptæ sortis hominibus, mul-

multasq; ærumnas & afflictiones sustinuit. Ut primùm enim à paupercula virgine in hanc lucem editus est, mater fascis eum involutum reclinavit in praesepi, eò quòd non erat eis locus in diversorio Luc. II, 7. Mox ut cruentas Herodis manus effugeret, exilio solum vertere coactus fuit. Matth. II, 13. Miracula verò nulla, nisi provecta jam ætate, edidit: neque tum quidem à Judæorum, ut pote divina ejus opera Diabolo ascribentibus, mortemq; ei intētantibus, injuriis iñunis fuit. Quàm tenuiter etiam totam vitam egerit, ipse testatur Matth. II, 20. *Vulpes habent lustra, & vulcres cæli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Itaque, Christum ante unitam sibi humanam naturam in forma Dei fuisse, & per hanc nihil aliud, quàm divinam naturam intelligi posse, res ipsa loquitur.

Ans. XLIX. Denique tale necimus argumentum: Cui rectè defertur cultus divinus, is est Deus Opt. Max. Sed Christo rectè defertur cultus divinus. E. Christus est Deus Opt. Max. Minor operosa demonstratione non indiget, cum à plerisque omnibus Photinianis concedatur: Extant tamen clarissima scripturæ dicta, quibus ea probari potest. Ipse Servator Joh. V, 23. jubet *omnes honorare Filium, sicut honorant Patrem.* Paulus Phil. II, 9. ait: *Deus ipsum (Christum) in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen, quod est supra omne nomen: Ut ad nomen Iesu omne genu se flectat cælestium ac terrestrium & subterraneorum:* Quem cultum solius Dei proprium esse, liquet ex Esa. XLV, 23. Item Auctor epist. ad Hebr. cap. I, 6. inquit: *Rursum autem, quum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, Et adorent eum omnes angeli Dei:* quæ verba ex Psal. XCVII, ubi itidem de cultu solius Dei Israël agitur, sunt desumpta.

L. Ma-



L. Major propositio constat ex Esa. XLII, 8: *Ego Dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus.* Excipit hic Volkel. 1. *Deum suam propriam gloriam, quæ est, ut omnium rerum fontem atque originem coli atque adorari, Christo minimè dedisse.* Sed hoc est negare conclusionem. Ex eo enim, quòd Christus afficitur honore solius summi Dei proprio, necessariò sequitur, eum esse omnium rerum fontem atque originem. Dicit 2. Verbum dandi hic non largiendi, sed permittendi vim habere, *ut sit sensus, Deum nequaquam permissurum, ut contra suam voluntatem divinus honor alicui exhibeatur.* R. Concedi hoc quidem potest, verbum dare hic per *Id* permittere explicari posse: Est enim hæc locutio, *Non dabo gloriam meam alteri*, eadem cum ista: *Non feram, vel non sinam, ut gloriâ mihi debitâ afficiatur alius.* Quod autem ille addit, *hujus loci sensum esse, Deum nequaquam permissurum, ut contra suam voluntatem divinus honor alicui exhibeatur*, quid hoc aliud est quàm perspicuorum verborum depravatio? Dum enim Deus se alteri gloriam suam daturum negat, quid aliud vult, quàm ostendere, contra suam voluntatem esse, ut gloria sibi debita alii impertiatur? e. g. Si princeps consiliario cuidam suo nimium sibi arroganti diceret; *Ego gloriam vel honorem meum tibi non dabo*; nihil aliud significare vellet, quàm se non permissurum, ut consiliario honor sibi debitus exhibeatur. Dicit 3. *Per Id alteri non eos intelligendos esse, qui à Deo dependent, eique sunt subordinati, qualis sit Dominus Iesus, sed illos omnes, qui Deo ita sunt oppositi, ut gloria illis adhibita ad ipsum minimè redundet.* Sed apertæ nugæ sunt. Deus enim his verbis: *Ego non dabo gloriam meam alteri*, expressè significat, se neminem

E

sibi

sibi subordinaturum esse, qui cultu sibi debito afficiatur. Imò ne quidem Deus alium sibi ad istum modum subordinare potest, neque honor divinus alteri habitus in Dei gloriam redundat, cum hoc ipsum sit *mutatio glorie Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*, Rom. I, 23. & *ignorantia Dei, servire is, qui natura non sunt Dii*, Gal. IV. 8.

LI. *Ultima classis in iis fundatur scripturæ locis, in quibus Christus Filius Dei vocatur: quæ tale nobis suppeditant argumentum: Quicumque est ex substantia Dei Patris genitus, is est ejusdem essentia cum Deo Patre. Sed Christus ex substantia Dei Patris est genitus. E. Christus est ejusdem essentia cum Deo Patre: Et, quod consequitur, Christus est verus & æternus Deus. Major absolute & simpliciter est necessaria. Est enim generare aliquid ex substantia sua nihil aliud, quam alteri substantiam suam communicare: Jam verò repugnat, communicatam esse alicui substantiam Dei Patris, qui tamen non sit ejusdem essentia cum Deo Patre.*

LII. Antea verò quam minorem probemus, respondimus ad argumenta Volkeli ex lumine rationis petita, quibus æternam Christi ex Dei Patris substantia generationem absurdam reddere connititur. Ita autem ille lib. 5. cap. 2: *Tam igitur quòd Filius Dei ab omni aternitate ex essentia Patris genitus esse affirmatur; hoc firmiter constituendam est, sententiam istam & absurdissimam, & planè ex eorum numero esse, quæ fieri nulla ratione possunt; ac proinde nec sacrarum literarum testimoniis confirmari posse. Se enim ipsam evertit. Tam blasphema verba eructat impius ille homo, ut vel ad eorum relationem horrescat animus.*

LIII. *Etiam atque etiam verò hic notandum est, impossibile*

possibile aliquid esse dupliciter 1. *Secundum quid & physicè tantum*, quod scilicet secundum ordinem & leges à natura præscriptas esse non potest. Hoc modo impossibile est solem stare: ferrum non immergi aquis: ignem non urere ad motam rem combustibilem: hominem generari sine concursu maris & foeminae. 2. *Absolutè & simpliciter*, quod per nullam, ne quidem absolutam Dei potentiam esse potest. Hac ratione impossibilia sunt ea omnia, quæ vel manifestam & evidentem contradictionem involvunt, vel ex quibus aperta contradictio sequitur: talia enim ne Deus quidem facere potest. e. g. Absolutè & simpliciter impossibile est hominem non esse animal rationis particeps; cum hoc sit ipsa essentia hominis, & contradictionem implicet, hominem esse, & nihilominus essentia humana destitui. Quæ priori modo, nempe *secundum quid & physicè tantum* sunt impossibilia, ea absolutè & simpliciter, in ordine nimirum ad absolutam Dei potentiam, sunt possible. Deus enim, uti naturæ regulis non est astrictus, ita multa facere potest, quæ per nullam naturalem potentiam fieri possunt. Ita legimus solem ad preces Josuæ gradum aliquando stitisse, Jos. X, 12. Ferrum innatasse aquis: II. Reg. VI, 6. Ignem non ussisse tres viros in fornace Babylonica: Dan III, 23. Virginem viri nesciam peperisse: Matth. I, 18. Luc. I, 34. Breviter, quæcunque manifestam contradictionem non implicant, illa omnia simpliciter sunt possible, & per potentiam Dei esse queunt. Concedimus itaque, æternam Christi ex substantia Dei Patris generationem regulis à natura definitis non quadrare: non magis tamen eo nomine absurda & impossibilis est, quàm virginem intemeratam & illibatam parere; quod tamen fieri posse, & factum aliquando esse, Photiniani juxta nobiscum sentiunt.



obj.
LIV. Jam ad rationes à Volkelio allatas ordine re-
spondebimus. Objicit I. *Si generatus est Filius, inquit, ut sanè
generatus est, ab omni aternitate non extitit, sed fuit tempus ali-
quod, cum nondum existeret. Omnis enim generatio, praesertim
substantialis, quam vocant, est mutatio à non esse ad esse. Ex quo
consequitur etiam, in Deum illum summum, nempe eum, qui ex
substantia Patris genitus dicitur, mutationem cadere. Argu-
mentum in forma est tale: Quicumque est generatus, ille tum
aliquando non extitit, tum etiam mutatus est. Sed Christus
est generatus. E. Christus tum aliquando non extitit, tum
etiam mutatus est, & per consequens, non est summus & aternus
Deus. Major probatur, quia omnis generatio substantia-
lis est mutatio à non esse ad esse.*

p.
L.V. Resp. Negando majorem propositionem & ejus
probationem. Verum quidem est, res creatas, quæ secundum
ordinem à natura præscriptum generantur, mutari à non esse
ad esse: At in divinis longè aliter res se habet. Est enim gene-
ratio ista, quæ Deus Pater Filium ex substantia sua producit, si-
ne ulla mutatione tam ex parte generantis, quàm generati. Ne-
que obstat, quòd ratio sibi relicta aliam generationem non
agnoscit, nisi quæ id, quod generatur, mutatur à non esse ad ef-
fe. Etenim nec illa aliam rationem generandi hominis no-
vit, quàm quæ fiat ex concursu maris & foeminae. Hinc non
majoris ponderis est hæc consequentia: Ratio sibi relicta
aliam generationem ignorat, quàm quæ sit mutatio à non esse
ad esse, E. Impossibile est quenquam generari, quin mutetur
à non esse ad esse; quàm ista: Ratio sibi relicta non agnoscit
alium generandi hominis modum, quàm quæ sit ex concursu
maris & foeminae, E. impossibile est virginem peperisse. Ne-
que



que hinc ulla sequitur pugna inter Philosophiam & Theologiam. Quando enim Philosophus dicit, omnem generationem esse mutationem à non esse ad esse; item, nullam virginem parere; Theologus verò, quandam generationem non esse mutationem à non esse ad esse; virginem item aliquam parere, uterque verum dicit: quia ille de viribus & de ordine naturæ, hic verò de statu supernaturali loquitur.

LVI. Objicit 2. Ex nostra sententia sequi, in Deum Patrem mutationem cadere. *Vel enim Filius nondum est penitus genitus, inquit, sed adhuc generatur & in æternum generabitur; quod & sacris literis & sanæ rationi repugnat; vel Pater eum generare desit, & sic ex generante factus est non generans, idque ratione substantiæ suæ, ex qua generasse dicitur.* R. Deus Pater Filium generare non desit, sed ab æterno generavit, & adhuc generat, & in æternum generabit: inde tamen planè non sequitur, Filium nondum esse penitus genitum. Nam licet actus gignendi semper duret, semper tamen quoque perfectus & consummatus est. Si sacris literis repugnat hæc sententia, cur non adductis in medium locis id ostendit hæreticus? Sin sanæ rationi contraria est, quare id non probat? Certè contra sanam rationem hoc dogma non est, quia illa iudicium de rebus supernaturalibus, & captum suum superantibus sibi non sumit: sed contra insanam potius, & limites sibi circumdatos transgressam: quæ proinde refrenanda est, & in officio retinenda, quò minus in illud proverbium incidat: *Ne sutor ultra crepidam.* Quin imò tantùm abest, ut cum sana ratione pugnet hoc dogma, ut ipsa potius exemplis è rebus naturalibus petitis nos doceat, sæpe contingere, ut aliquid, quod jam penitus est productum, adhuc dum producat.

Patet hoc in lumine solari, quod licet à sole penitus sit produ-
ctum, semper tamen ista productio, quæ ad conservandum il-
lud lumen terminatur, manet & nunquam cessat.

obj.

LVII. Præterea, ita 3. objicit, cum Dei substantia nec in
partes dividi, nec multiplicari queat; necesse est, ut si Christus ex
Dei substantia generatus fuit, tota ei Patris substantia, eadem
numero, communicata fuerit. At hoc se ipsum evertit. semper
enim aliamejus, qui generatur, aliam illius, qui generat substan-
tiam esse oportet. aliàs idem se ipsum generaret. R. Se ipsum
non evertit, Patrem generando Filium eandem numero sub-
stantiam suam ei communicare: nec ratio adducta id probat.
Semper quidem in rebus creatis alia est generantis alia gene-
rati substantia; at in Deo hoc locum non habet. Comuni-
cat namq; Deus Pater Filio eandem numero essentiam suam,
non communicata tamen propria hypostasi sua, cujus ratio-
ne manet à Filio re ipsa distinctus. Si Volkel. hoc capere ne-
quit, scriptum esse sciat: *Abolebo sapientiam sapientum, & in-
telligentiam intelligentium tollam è medio: Item, Nonne infa-
tuavit Deus sapientiam mundi hujus?* I. Cor. I, 19. 20. Neque
id statim in absurdorum numero habendum est, quod rationi
nostræ est impervium. Potest enim Deus *infinita cum redun-
dantia omnia facere supra ea quæ petimus, aut mente concipimus.*
Eph. III, 20.

R.

LIIIX. Minorem propositionem suprâ adducti argu-
menti, nempe quod Christus ex substantia Dei Patris sit gene-
ratus, ita probamus: Quicumque est unigenitus & proprius
Dei Filius, is ex substantia Dei Patris est genitus. Sed Chri-
stus est unigenitus & proprius Dei Filius: E. Christus ex sub-
stantia Dei Patris est genitus. Minor patet ex Joh. I, 14. 18.
cap. III, 16. Rom. II, 32. Major ex terminis manifesta est.

Argum.

Omniem

Omnes enim filium unigenitum ex substantia Patris generatum esse, vel ipsa vox *unigeniti* satis evidenter ostendit: Filium quoque proprium eum esse, qui non ex alterius, sed ex illius, cujus filius dicitur, substantia genitus est, nemo ignorat. Et sane tam evidens hoc est, ut Judæi idcirco *Christum interficere vellet*, quod Patrem suum dixisset Deum, *equalem se faciens Deo*, Joh. V, 18.

LIX. Negat Volkel. majorem hujus prosyllogismi: & quamvis Christus Filius Dei unigenitus & proprius dicatur, in datamen non sequi ait, eum ex substantia Patris esse generatum. Primum enim vocem *unigeniti* idem hic significare, quod nomen *charissimi*, quod pateat ex Gen. XXII, 2. 12. & Hebr. XI, 17. ubi Isaac *unigenitus Abrahami Filius* vocatur: & Prov. IV, 3. ubi se Salomon *unigenitum coram matre sua* appellat: cum tamen tam Abrahamo, quam Matri Salomonis plures fuerint filii. Deinde quoque se non negare, Christum esse Dei Patris Filium unigenitum & proprium, etiam naturalem, vocibus his proprie acceptis; quia alium Patrem non habeat, quam Deum, qui divina virtute sua idem præstiterit, quod naturalis alias Pater præstare solet, eumque ex casta & intacta virgine Maria produxerit.

LX. Resp. A proprietate verborum non est recedendum, nisi urgens & inevitabilis cogat necessitas. Jam vero ipse Volkelius concedit, *unigeniti vocem eum proprie denotare, qui solus ex altero fuerit genitus*. Quicquid igitur jam sit de iis scripturæ locis, ubi Isaac & Salomon unigeniti filii vocantur, nulla hic ratio reddi potest, [nam illæ quas Volkel. in contrarium attulit, nihil evincunt, ut ante ostendimus] quare vocem *unigeniti* de Christo usurpatam proprie non accipiamus: præsertim cum & illi, qui in locis citatis unigeniti filii, nempe

Isaacus



Isaacus & Salomon, vocantur, ex substantia parentum suorum
sint generati. Quam verò ille causam reddit, quare Christus
sit Filius Dei proprius & unigenitus, ea risu potius quàm re-
sponsione digna est. Sanè eo modo etiam Adam filius Dei
esset unigenitus & proprius, & Heva unigenita & propria Dei
filia; quia neq; ista neque ille alium habuerunt Patrem, quàm
Deum: & Adam quidem de limo terræ est conditus, Heva ve-
rò ex costa viri admirabiliter fabrefacta. Respondet Volkel.
Adamum ideo non dici posse Filium Dei unigenitum, quia
non sit generatus, sed à Deo creatus. *Aliud autem esse simplici-
ter creari, inquit, aliud Dei virtute ex virgine viri nescia pro-
priè gigni, quis ignorat?* Sed facilis est responsio. Sumitur id
creari bifariam, 1. *propriè*, prout idem est, quod ex nihilo, sive nulla
præexistente materia produci: hoc modo res spirituales, quales sunt
angeli & anima rationalis in homine creantur. 2. *Impropriè*; prout
iis etiã tribuitur, qui quidè ex subjecto seu materia aliqua, sed superna-
turali & soli Deo competenti modo, producuntur. Hoc modo Adam &
Heva, ipse quoq; Christus homo creati sunt. Et talis productio propriè
non est creatio, sed generatio: vocatur autem creatio, quia solius Dei
propria est. Hinc patet, quid sentiendũ sit de Volkeli exceptione, quã
instantiã nostrã infringere conatur. Scilicet & Adamus & Heva æquè
propriè sunt generati, atque Christus homo generatus est, sunt enim
omnes ex præexistente subjecto producti: & si Adamus ideo non est
generatus, quòd modo supernaturali productus est, neq; Christus re-
ctè genitus dicitur, quia & is alio, quàm consueto & naturali modo in
lucè est editus. Huc accedit quòd eadem ratione geniti sint Christus &
Heva: uti enim iste ex fœmina sine viro, ita hæc ex viro sine fœmina
generati sunt. Creati autè dicuntur Adamus & Heva, in quantũ modo
solius Dei proprio conditi sunt: quo modo & Christum creatum esse,
nemo sanus negabit.

Atq; hæc hætenus pro confirmanda Christi Divinitate dicta sunt. Deus
sancto Spiritu suo nos regat, omnibusque abolitis hæresibus in veritate sua con-
firmet! Amen.

F I N I S.

99 A 6948

ULB Halle

3

002 840 022



Ruhr

Vb 17



DISPUTATION
D. ECCLESIAE





4.
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
DIVINITATE
CHRISTI
CONTRA PHOTINIANOS

QUAM
D. O. M. A.
PRÆSIDE
HENRICO MARTINO
ECCARDO

S. S. Theolog. Doct. & Prof. Publ. Dn; Patruo suo æter-
nùm venerando

DIE XIX. MART.

PUBLICO EXAMINI SUBIICIT
ARNOLDUS ECCARDUS
Harpstadio - Oldenburgicus, Auctor.



RINTELI,
TYPIS VIDVÆ LVCIANÆ MDCC LXIV.